

gumento petitur de his denominationibus, *visum, amatum*, et similibus, ad quod prædicamentum pertineant, et in universum petitur in illis argumentis, si extrinseca denominatio, vel forma a qua sumitur, interdum constituit directe aliquod prædicamentum, cur non semper constituat, quoties denominatio ab aliquo reali sumitur, et quo modo omnes hujusmodi denominationes sub his novem prædicamentis contineantur; vel si non possunt hæ denominationes prædicamentum et genus accidentis proprie constituere, quænam ratio differentie adhibenda sit, vel quæ regula observanda ad hujusmodi extrinseca prædicamenta accidentum constituenda. Et quidem multa ex argumentis ibi propositis convincere videntur, non omnes has denominationes sumi ab aliquibus accidentibus seu formis, quæ directe in aliquo prædicamento accidentis collocentur, quatenus sic denominant. Ratio autem vel generalis regula fortasse non potest una in omnibus tradi, sed ex diversis capitibus id provenire potest.

*Ad primam difficultatem de actibus extrinsece denominantibus.*

34. *Quas condiciones requirat forma extrinseca denominans, ut in prædicamento collocetur.* — Ut autem hoc aliquo modo declaremus, advertendum est, prædicamentum illud, quod per extrinsecam denominationem constituitur, tres potissimum requirere condiciones ex parte rei denominantis. Prima, ut, licet non sit forma inhærens, habeat tamen aliqualem modum formæ, id est, perfectiæ vel actuantis id quod denominat; nam communis ratio accidentis includit, quod sit aliqualis forma ejus cui accidit. Secunda, ut illa denominatio per se sit distincta a cæteris generibus prædicamentorum, ita ut in nullo eorum intrinsece includatur, quia prædicamenta debent esse impermixta et primo diversa. Tertia, quod talis denominatio non sit quasi composita vel aggregata ex formis plurium prædicamentorum, quia in prædicamentis solum constituuntur entia, quatenus aliquo modo sunt per se una et incomplexa. Forma ergo extrinsece denominans, si has omnes condiciones habuerit, constituetur per se et directe in aliquo ex dictis novem generibus; quocumque autem denominatio extrinseca, quamvis sit aliquo modo realis, non pertinet directe ad aliquod ex novem gene-

ribus, semper est ex defectu alicujus ex dictis conditionibus.

35. Ad actus ergo immanentes, quatenus objecta denominant cognita aut amata, non constituunt peculiare genus prædicamentale, imo nec peculiarem rationem aut speciem alicujus prædicamenti, quia, ut postea declarabimus, in ipsa entitate actus immanentis tres rationes possunt considerari, scilicet, actionis, quatenus active fluunt a potentiis, quomodo spectant ad prædicamentum actionis; et passionis, quatenus intrinsece aliquo modo mutant ipsas potentias et quantitates, quatenus sunt formæ quædam informantes ipsas potentias. Et sub hac ratione transit denominatio horum actuum aliquo modo ad objecta; ideoque non constituunt sub ea ratione peculiare genus, vel speciem accidentis. Primo quidem, quia illa ratio denominandi provenit a tali qualitate ex vi effectus formalis, quem tribuit suæ potentiæ, nam per eam fertur potentia in objectum, et inde sumitur denominatio objecti. Et ita intrinsece includitur in ipsamet ratione talis qualitatis. Unde fit etiam ut non denominet objectum tanquam forma, vel perfectio ejus, sed solum ut terminum ad quem tendit. Et licet in modo denominandi significetur per modum passionis, tamen veram rationem passionis non participat. Et ideo in hoc non est simile de actione et passione reali, nam passio est vera affectio subjecti. Actio vero quamvis non sit affectio potentiæ agentis ut sic, est tamen veluti exercitium ejus, et ideo comparatur ad illum per modum actus, et ita etiam dicitur habitudinem omnino condistinctam, secundum rationem conceptam, ab habitudine passionis.

*Ad secundam difficultatem de loco, veste, et similibus.*

36. Hinc facile respondetur ad secundum, in quo comparatur locus, ut denominans locantem et locatum, et vestis, ut denominans vestientem formaliter, et vestitum, cum actione et passione. Negatur enim similitudo rationis, quia forma ut informans, et ut denominans informatum, non dicit duas rationes diversas, sed unam et eandem diversimode significatam; locus autem et vestis se habent ut formæ, et ita superficiem locare non est efficere, sed informare, ideoque ipsa ut locans, et ut denominans aliud locatum, non constituit duas rationes prædicamentales. Et similiter habitus, qui est formaliter vestiens

et denominat vestitum, una et eadem forma extrinseca est, cujus informatio illa duo intrinsece includit; sicut etiam albedo potest dici dealbens, et subjectum dicitur dealbatum.

*Ad tertiam et quartam difficultatem de denominationibus artificialibus et moralibus.*

37. Ad tertium respondetur, denominationes artificiales, si sint simplices, aliquo modo per se ad dicta genera pertinere, et hujusmodi est illa denominatio deaurati, quæ pertinet ad prædicamentum habitus, et idem est de similibus; si vero sint denominationes sumptæ ex aggregatione rerum plurium generum, sic non oportere ut sub uno prædicamento contineantur, sed satis esse quod secundum partes ad illa revocentur. Et hujusmodi esse existimo denominationem exercitus, populi, reipublicæ, et similes. Per quod patet etiam solutio ad quartum: nam aliæ denominationes morales, quæ in eo tanguntur, sumptæ sunt ex actibus immanentibus, prout terminantur ad objecta, de quibus jam dictum est. Et peculiari ratione dicuntur aliquando illæ denominationes rationis, quia non requirunt existentiam realem rei denominantis, sed ab ea, quæ præcessit, desumuntur.

*Ad quintam difficultatem de motu et causis causalitatibus.*

38. Ad quintum de motu, prout comparatur ad actionem et passionem, varii sunt respondendi modi, de quibus infra latius in prædicamento passionis. Nunc breviter censeo, motum generatim sumptum, ut dicitur de omni mutatione, idem esse cum passione, nam motus est actus mobilis, et passio patientis, et sicut motus afficit mobile in ordine ad terminum, ita etiam passio. Quod si præcise consideretur motus, ut est via ad terminum, et illum fieri denominat, non constituit specialem rationem prædicamentalem, vel quia solum dicit ipsummet terminum in esse imperfecto, et ita reducitur ad prædicamentum ejus, vel certe propter duas rationes supra tactas in actibus immanentibus, scilicet, quia illa denominatio et est intime inclusa in formalitate passionis et actionis, et quia non comparatur ad terminum per modum formæ afficientis subjectum, sed solum per modum viæ aut habitudinis tendentis ad terminum; sic enim (ut est probabile) generatio, ut fit in materia prima, habet rationem passionis accidentis illi; tamen ut

denominat terminum genitum, non constituit specialem rationem prædicamentalem, nec se habet ut accidens ejus.

39. *Causalitates aliarum causarum ab efficiente, in quo prædicamento sitæ.* — Quod vero in eodem argumento tangitur de causalitatibus aliarum causarum, sic expediendum est. Causalitas finalis in re nullum dicit modum distinctum a causalitate agentis, solum dicit intentionalem habitudinem causalitatis ipsius agentis ad finem; propter quod illa causalitas, intentionalis potius quam realis dici solet, et motio metaphorica, et ideo necesse non fuit peculiare prædicamentum propter hanc causalitatem constituere. Causalitas autem formæ non est aliud quam ejus informatio, quæ intrinsece pertinet ad esse illius rei, quæ per formam constituitur; ideoque non magis informatio, quam forma, constituit speciale prædicamentum. Unaquæque ergo informatio ad prædicamentum, genus et speciem suæ formæ reducitur. Sicut enim informatio formæ substantialis, quia intrinsece pertinet ad constitutionem substantiæ, non est accidens, sed aliquid ad prædicamentum substantiæ pertinens, ita proportionaliter dicendum est de informatione quantitatis, qualitatis, etc. Atque hinc etiam fit ut abstracta et concreta accidentium ad eadem prædicamenta proportionaliter pertineant, quia, ut supra dicebamus, concretum accidentis, prout formaliter pertinet ad genus vel prædicamentum accidentis, solum addit actualem inhæSIONEM seu informationem subjecti. Causalitas autem materiæ, quatenus ex ea constat compositum, eadem ratione non constituit speciale genus entis, qua causalitas formæ, quia etiam est causalitas intrinseca pertinens ad constitutionem alicujus entis, præsertim causalitas materiæ primæ respectu compositi, quod est per se unum. Unde probabile est talem causalitatem materiæ in re non esse modum distinctum a causalitate formæ, ut supra dictum est. Quatenus vero materia est causa generationis rei, sic dicendum est, passionem, ut passio est, pertinere ad causalitatem materialem, quia est effectio subjecti, ut passum est, qui respectus ad causalitatem materialem pertinet, saltem in ordine ad effectum in fieri, ut in superioribus declaravi. Hic autem posterior effectus non habet locum in forma, quia forma, ut forma, non est causa generationis, sed potius effectus.

40. *Objectioni satisfit.* — Dices: si ratio

causæ, vel omnis, vel aliqua, constituit speciale prædicamentum accidentis, cur non etiam ratio effectus ut sic? hæc enim proportionaliter respondere debet rationi causæ ut causa est. Respondeo rationem esse in promptu ex dictis. Si enim in effectu consideretur res facta, sic in prædicamento ponitur, vel potius in omnibus prædicamentis; nam in illis non constituuntur nisi res creatæ, quæ omnes sunt effectus quidam; quamquam ad constitutionem prædicamenti, vel ad divisionem, de qua nunc agimus, non referat, quod res sint actu effectæ seu causatæ, vel quod causari possint; nam utroque modo res sunt ejusdem naturæ et essentiæ, quæ in præsentem consideratur. Quo sensu verum est, rem in actu et in potentia ejusdem esse generis et prædicamenti. Si vero in effectu consideretur ratio prædicamentalis, sic in aliquo prædicamento collocatur simul cum relatione causæ. Si denique loquamur de effectu quoad puram et formalem denominationem effectus, sic eadem ratione non constituit speciale prædicamentum distinctum a reliquis, quæ supra dicebamus, motum, quatenus est via ad terminum, non constituere speciale prædicamentum; quia esse effectum, idem est quod esse terminum motus vel productionis. Unde in omnibus effectibus talis respectus vel denominatio includitur intrinsece, vel in actione, si active sumatur, quia omnis actio aliquid agit; vel in prædicamento passionis, si passive sumatur, nam per omnem passionem aliquid fit. Unam excipio creationem passivam, quæ, prout est fieri sui termini, non est vera passio. Illa vero sub ea consideratione non habet rationem accidentis, quia cum terminum non supponat, sed potius ad illum constituendum tendat, non potest illum respicere ut subjectum, neque accidentaliter illum afficere; quæ ratio communis est etiam cuilibet passioni seu mutationi quatenus ad terminum tendit, et illum fieri seu factum esse denominat. Et ideo sub ea ratione vel reducitur ad prædicamentum sui termini, vel certe in ratione actionis aut passionis includitur.

*Ad sextam difficultatem, de quibusdam accidentibus Angelorum.*

41. In sexta difficultate, petitur ut explicemus an rerum immaterialium accidentia sub his generibus collocentur. Et quia in cæteris res est clarior, specialiter id inquiritur

de Ubi, et de durationibus Angelorum. Quæ res explicanda est ex professo inter disputandum de generibus Ubi, et Quando. Et ideo breviter dicitur, prout hæc sunt accidentia Angelorum, sub his generibus comprehendendi, etiamsi diverso modo in eis sint, quam in rebus corporalibus. Nam, sicut substantiæ angelicæ diversum habent essendi modum, quam corporeæ, et nihilominus ad idem prædicamentum pertinet, ita et accidentia harum substantiarum cum proportionem sumpta possunt habere univocam convenientiam in propriis generibus, ratione cujus ad eadem prædicamenta pertineant, ut in singulis videbimus.

*Ad septimam difficultatem, de proprietatibus prædicamentorum.*

42. In septima difficultate quæritur de proprietatibus quas Aristoteles tribuit singulis prædicamentis accidentium, an illæ etiam propria genera accidentium constituant. Ad quod dicendum est breviter, ex illis proprietatibus quasdam esse quæ consistunt in relatione actuali vel aptitudinali, quæ ad prædicamentum ad aliquid vel directe pertinent, vel reducuntur ratione aptitudinis, seu connotationis, ut esse æquale, vel inæquale, etc.; aliæ addunt solam negationem, ut non habere contrarium, aliæ connotant solum aliquid extrinsecum, ut habere contrarium, aliæ explicant intrinsecum modum propriæ entitatis, ut habere intensionem. Et hæc omnes proprietates non addunt novum aliquod genus, ut ex ipsa declaratione satis constat. Quando vero proprietas alicujus accidentis est positiva, et dicit proprium ac specialem modum afficiendi subjectum cujus est proprietas, tunc illa proprietas pertinet ad proprium genus accidentis, semper tamen spectabit ad aliquod ex novem generibus supra numeratis; sic enim figura potest dici proprietas quantitatis, et habitus, potentiæ, et tamen ad genus qualitatis pertinent. De ratione autem mensuræ, quæ ibi specialiter tangitur, existimo non pertinere ad essentiam alicujus accidentis, imo neque esse realem proprietatem intrinsecam alicujus prædicamenti, sed solum esse denominationem quamdam in ordine ad actus rationis, de qua re dicemus late tractando de quantitate.

*Ad ultimam difficultatem de postprædicamentis.*

43. In ultima difficultate petitur, cur Aristoteles quasdam res vel denominationes in

postprædicamentis posuerit, si divisio accidentis per novem genera est sufficiens. Patet autem facile responsio ex dictis; nam de motu jam dictum est, aliæ vero denominationes non sumuntur ex formis efficientibus, sed ex coexistentia; vel ex connotatione alterius extrinseci, ut esse simul, aut prius, aut habere oppositum; et in universum, habere, ut sic, non dicit rationem formæ; nam etiam subjectum habet accidentia, et totum partes, et res etiam omnino extrinseca haberi dicitur. In his ergo denominationibus nulla intervenit propria ratio accidentis, nisi fortasse quatenus aliqua relatio in eis intervenire potest. Et ideo Aristoteles, ut omnes loquendi aut denominandi formulas, quæ ad doctrinam tradendam conferre possunt, explicaret, illas in postprædicamentis declaravit.

SECTIO III.

*Utrum prædicta divisio sit univoca vel analogica.*

1. *Utrinque ratio dubitandi.* — Ratio difficultatis est, quia nullus modus analogiæ hic intervenire posse videtur; nam accidens non dicitur de cæteris accidentibus per attributionem ad aliquod unum sub accidente contentum, ut per se notum est. Quod autem omnia sint entia vel accidentia per habitudinem ad substantiam, non sufficit ad analogiam inter ipsa, quia illud, ad quod omnia respiciunt, non continetur sub conceptu accidentis. Sicut substantiæ creatæ etiam sunt substantiæ per attributionem aliquam ad increatam, et nihilominus sunt univoce substantiæ. Neque etiam hic intervenire potest analogia proportionalitatis, quia accidentia non sunt extrinsece aut metaphorice accidentia, sed proprie et intrinsece; proportionalitas autem non constituit analogiam, nisi ubi intervenit metaphora vel improprietas in aliquo extremorum, ut supra dictum est. Nam genus etiam dicitur de speciebus secundum proportionalitatem, quæ veritatem ac proprietatem rei non excludit. In contrarium vero est, quia si accidens esset univocum, esset genus, et consequenter non essent novem genera accidentium summa.

*Prima sententia, accidens esse analogum.*

2. In hac re fere omnes, qui sentiunt ens esse analogum ad substantiam et accidens, sentiunt etiam accidens esse analogum ad novem genera. Ita tenet Cajetanus, de Ente et essent., cap. 7, quæst. 15, ad 4, in quo in-

ferbatur accidens fore genus, si esse in esset essentielle et commune omnibus accidentibus. Idem tenet Soncin., 4 Metaph., quæst. 1, ubi ad 1 ait, genera prædicamentorum esse primo diversa, quia in nulla ratione univoca conveniunt, et lib. 12, quæst. 47, ad 1, etiam ait, primo diversis nihil esse commune univocum. Quod item insinuat Alex. Alens., 5 Metaph., text. 33, in fine, ubi etiam favet Philosophus; negat enim ea, quæ differunt prædicamenti figura, posse resolvi in unum. Sed potest intelligi de uno genere. At obstat huic responsioni, et consequenter favet huic sententiæ D. Thomas, 1 cont. Gent., cap. 32, ratione 3, ubi probat nihil prædicari de Deo et creaturis univoce, quia nihil prædicatur de eis, ut genus vel species, etc.; quæ ratio applicari potest ad accidens; vel ergo fatendum est esse genus, vel negandum esse univocum. Atque eodem modo favet Porphyrius, tum enumerando quinque prædicabilia, præter quæ non agnoscit aliquod aliud prædicatum commune et univocum, alioqui illud esset quoddam universale, distinctum a reliquis; tum etiam quia in cap. de Specie, non alia ratione censet ens non esse genus, nisi quia non est univocum. Præterea Aristoteles, 1 Poster., c. 11, docet, propositionem illam, in qua unum summum genus de alio negatur, esse immediatam, quia nullum est prædicatum superius alicui eorum, per quod demonstratur. Non explicant autem dicti auctores qualis sit hæc analogia, neque in quo fundetur, aut de quo genere accidentium primo dicatur accidens.

*Secunda sententia, accidens esse univocum.*

3. Propter quod alii etiam ex D. Thomæ discipulis sentiunt, accidens esse prædicatum univocum ad novem genera. Ita tenet Soto, in cap. 4 Antepædicam., quæst. 2, ad 1; idemque supponit Javellus, 7 Metaph., quæst. 1, ad 3 Antonii And. objicientis, si inhærentia est communis et essentialis quantitati et qualitati, fore ut accidens sit genus; respondet enim, ut aliquid sit genus, non sufficere esse commune iis de quibus dicitur, et prædicari in quid et univoce, nisi etiam dicat determinatam naturam, et ideo non esse genus. Supponit ergo habere alias condiciones, scilicet, prædicari in quid et univoce. Atque hinc colligitur propria ratio hujus sententiæ, scilicet, quia accidens ut sic est commune, non tantum secundum nomen, sed

etiam secundum rationem, et illa ratio immediate participatur ab omnibus iis generibus, quibus est communis, sine ullo ordine eorum inter se; ergo habet omnia ad univocationem requisita. Consequentia patet ex omnibus dictis supra de analogia entis; antecedens vero patet quoad singulares partes, quia accidens in communi definitur esse ens in alio, in sensu declarato sectione 1, quæ ratio communis est omnibus dictis generibus; neque ulli convenit per respectum ad aliud. Nam cum Aristoteles dixit, accidens esse entis ens, nomine entis intellexit ens simpliciter, quod est substantia, ut omnes intelligunt, et constat etiam ex 7 Metaphys., ubi hac ratione dicitur substantia prior definitione accidente; nunquam autem dixit unum accidens esse prius definitione quam aliud; participant ergo omnia accidentia illam rationem sine ullo ordine inter se; nihil ergo illi deest ad veram univocationem. Et confirmatur, quia analogata secundaria definiri solent per ordinem ad primum analogatum; sed genera accidentium, nec sub ratione communis accidentis, nec ut talia accidentia sunt, definiuntur per respectum ad aliquod ex dictis generibus accidentium; ergo.

*Utriusque sententiæ difficultas aperitur.*

4. Quanquam autem hi auctores admittant accidens esse univocum, non tamen admittunt esse genus. Reddit autem rationem Soto, quia accidens non prædicatur in quid; quia non significat (inquit) formaliter quidditates accidentium, sed esse eorum in substantia. Falsum tamen assumit in hac ratione, quia accidens non dicit actu inesse, sed aptitudine, quod est de quidditate accidentis, ut supra vidimus. Item, quia omnia accidentia conveniunt in aliqua ratione non tantum accidentali et extrinseca, sed etiam essentiali, quæ uno conceptu abstrahi, et una voce significari potest; hæc autem ratio significatur nomine accidentis, et non per modum formæ, ut prædicetur in quale; ergo tam est prædicatio in quid hæc, *Qualitas est accidens*, sicut hæc, *Corpus est substantia*.

5. Aliam ergo rationem insinuat Javellus, et magis declarat Soto, scilicet, accidens non esse genus, quia non habet differentias extra sui rationem; nam omnis modus, quo potest accidens determinari ad quantitatem, qualitatem, et similia, est etiam accidens; est autem de ratione generis, ut sit extra rationem differentiarum, id est, ut secundum

præcisos conceptus in eis non includatur, nec per se de illis dicatur, ut constat ex doctrina Aristotelis, 3 Metaph., text. 10. Quæ ratio est consentanea doctrinæ Scoti, in 1, dist. 3, q. 3, ad 2, et dist. 2, q. 2, ubi juxta doctrinam Aristotelis ait, ens non esse genus, non quia nonsit univocum, sed quia prædicatur in quid de aliqua differentia.

6. Hanc vero rationem in simili impugnat Ferrariensis, 1 cont. Gent., c. 32, dicens, recte quidem consequi, si prædicatum sit ita commune, ut non habeat differentias extra sui rationem, non esse genus, ut Aristoteles plane docet; tamen proximam hujus rei causam esse, quia tale prædicatum non potest esse univocum; nam si esset univocum, haberet differentias, de quarum intellectu non esset. Quia esse extra conceptum differentiarum non est de prima et essentiali ratione generis; nam illa solum est negatio quædam; ratio autem generis positiva est; est ergo illa negatio concomitans, aut necessario consequens rationem generis. Et ideo a posteriori recte infertur, id, quod non habet illam conditionem, non esse genus; multo vero melius sequitur a priori, quiddid quod habet positivam rationem generis, habere etiam conditionem illam. Et ideo repugnat dicere, aliquid esse univocum, et prædicari in quid de multis essentialiter diversis, et non habere differentias extra sui rationem; quia hoc est dicere, aliquid habere completam rationem generis positivam, et non proprietatem negativam per se consequentem talem rationem. Et confirmat, nam omne univocum dicit formam unam ab inferioribus abstrahibilem, quæ in plura essentialiter dividitur; ergo vel per differentias proprie sumptas, de quarum intellectu non sit, et habetur intentum; vel per diversos modos essendi, et hoc repugnat. Primo, quia duæ species qualitatis, verbi gratia, sunt quidditative accidentia, et tamen conveniunt in eodem modo essendi. Secundo, quia modi essendi non sunt de essentia rei creatæ, cum in creaturis esse distinguatur ab essentia; diversitas autem accidentium est essentialis. Tertio, quia in albedine, verbi gratia, essent duæ quidditates, una accidentis, et altera differentiæ, et ita neutra diceretur in recto de albedine, quia pars non prædicatur de toto, neque albedo esset unum simpliciter. Has enim rationes format Ferrar. de ente, quæ eadem proportionem ad accidens applicantur.

7. Verumtamen hæc objectio non est ma-

gni momenti. Nam quod genus debeat esse natura ita limitata, ut possit præscindi a differentiis quibus contrahitur, per se primo pertinet ad rationem generis, ut ex Aristotele, citato loco, sumitur, et 4 Topic., c. 6, loco 64 et 71. Nec refert quod illa proprietas per negationem declaretur; nam per illam negationem circumscribitur positiva proprietas, et conditio naturæ genericæ, quod, nimirum, sit natura ita limitata et præcisa, ut sit apta ad componendum metaphysice cum differentia specificam naturam; hoc autem non tantum concomitanter et consecutive, sed essentialiter convenit generi ut genus est. Quod patet, quia speciei essentialiter est componi ex genere et differentia; sed genus essentialiter respicit speciem; ergo de essentia generis est aptitudo ad componendam speciem; in hac autem aptitudine essentialiter includitur, quod sit natura secundum rationem præcisa a differentia. Sicut e contrario de ratione differentiæ est, ut secundum rationem sit præcisa a genere; nam comparantur hæc duo, ut actus et potentia metaphysica. Unde etiam potest sumi proportionale argumentum; nam de ratione materiæ primæ est, quod sit entitas condistincta a forma, quæ distinctio, licet sit negatio, per eam tamen indicatur limitatio, et potentialitas materiæ, quæ necessaria illi est, ut possit esse essentialis pars physica apta ad componendum totum per modum potentiæ; ergo proportionali ratione est de ratione generis, ut metaphysice sit extra rationem differentiæ.

8. Ad rationem quidditativam generis quid requiratur. — Quapropter negandum est integram rationem quidditativam generis in hoc contineri, quod sit prædicatum univocum et in quid, et commune ad plura essentialiter diversa, nisi sit determinatæ naturæ, quæ possit habere differentias extra sui rationem. Quæ particula satis insinuat in ratione generis, cum dicitur esse id quod prædicatur in quid de pluribus differentibus specie; quia species, ad quam genus dicit relationem, per propriam differentiam additam generi constituitur. Unde, licet admittatur accidens esse univocum et prædicari in quid, negandum est prædicari proprie de pluribus differentibus specie, sed de pluribus primo diversis, seu differentibus genere, quia summa genera non sunt species, etiamsi habeant commune prædicatum univocum, quod sit quasi transcendens respectu illorum. Nec refert quod accidens prædicetur de albedine et

nigredine, verbi gratia, quæ specie differunt, quia non prædicatur de illis secundum immediatam habitudinem et relationem (quomodo intelligenda est ratio generis), sed mediis generibus primo diversis.

9. Ad confirmationem autem Ferrariensis eligenda est posterior pars dilemmatis, nempe hujusmodi prædicatum commune posse determinari per intrinsecos modos, qui non sint propriæ differentiæ. Jam enim supra, tractando de conceptu entis, declaravimus qualis sit ille modus determinationis, quo commune prædicatum transcendens potest limitari ad determinatas naturas, absque propria compositione cum differentiis in quibus non includatur, sed per solam confusam aut distinctam conceptionem intellectus. Et quidem, si objectiones Ferrariensis essent efficaces, non minus probarent de conceptu analogo, quam de univoco; neutrum tamen probant. Ad primam enim respondetur, duas species qualitatis convenire in modo essendi generico aut prædicamentali, non tamen convenire in illo modo essendi, in quo res alterius prædicamenti conveniunt; accidens autem distinguitur in suprema genera per varios modos eorum, non per modos ejusdem prædicamenti. Quocirca, quamvis accidens dividatur per modos essendi in varia genera, non tamen dicitur de solis rebus primo diversis per illos modos, sed etiam de rebus distinctis sub illis modis. Adde quod, licet differentiæ albedinis et nigredinis sint propriæ differentiæ respectu coloris vel qualitatis, non tamen respectu accidentis, sed respectu illius sunt tantum modi essendi primo diversi, quia nullum habent commune genus, sed solum ipsum accidens, quod quidditative includunt. In secundo argumento committitur æquivocatio, quia cum agimus de modis essendi, non intelligimus de esse existentie actualis, sed de essentia, vel de aptitudine essendi, vel potius inhærendi hoc vel illo modo. Tertia vero ratio minoris momenti est, nam solum sequitur in qualitate esse duos conceptus quidditativos, unum confusum et communem accidentis, alium proprium qualitatis, quod non obstat quominus conceptus qualitatis sit simpliciter et per se unus, quia ratio accidentis ad illam per se determinatur, neque etiam impedit quominus accidens prædicetur de qualitate non per modum partis, sed per modum totius potentialis. Et idem dicendum est de modo illo quo accidens determinatur ad esse qua-